

## Cartulaire de Marmoutier pour le Vendômois, Nr. 24

Nosse debebitis, si qui eritis posteris nostri Maioris scilicet huius habitatores Monasterii Sancti Martini, militem quemdam de Vindocino Guismandum nomine, donasse pro anima sua Sancto Martino et nobis molendinum quendam in Ledo, Firmatum nomine, iuxta molendinum nostrum de Cappa quem sicut solide et quiete habuit et possedit, ita nobis habendum et possidendum sub iure perpetuo pro anima sua, sicut dictum est donavit. Ex quo molendino, dum super altare donationem quodam fuste, ut moris est, faceret, hii de familia nostra interfuere testes.